



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Filius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

explicitè credere tenetur.num.12.§.1.

De eo qui credit contrarium fidei, aut dubitat.vide tit.Hæreticus.

F Peccat mortaliter laicus, qui disputat de fide, sciens id esse laicis prohibitum sub excommunicationis pœna. cap. 11. num. 25. Nou.num. 27. secus si ignorans ius id facit maximè gratia exercitij. ibidem. additum in Nouo.

An peccat qui mentitur in materia fidei: vide tit. Mendacium.

F I L I V S.

A HONOR à filiis debitus parentibus, consistit in amando, obediendo, & honorando. cap. 14. num. 4.

Peccat mort. filius qui odit grauius parentes, vel graue damnum eis desiderat: vel quamuis amet, nunquam tamen, vel rarò illis signa amoris ostendit. num. 11. filius potest obligari sub mortali. præcepto patris. nu. 2. vnde peccat mort. qui non obedit parentibus in rebus pertinentibus ad gubernationem domûs, vel in his, quæ pertinent ad bonos mores, vt fugere noxios amicos, &c. num. 12.

Peccat mort. filius qui etiam leuiter percutit parentes, vel contumeliosis verbis afficit,

ficat, vel qui ex animo eis maledicit, siue viuis, siue defunctis. Leuius tamen peccat si ore tantum maledicit.

Peccat etiam mort. qui eos criminis accusat (exceptis quibusdam casibus, & maxime hæresi, & prodicione, in quibus obligatur.) Item qui parentes contemnit : qui eis mortem desiderat, quò citius hæreditet : vel non curat eos à captiuitate liberare, vel ab insano furore : vel prohibet testari, vel restituere, vel non subuenit eis grauiter indigentibus : vel ingreditur religionem eis extreme indigentibus, egentibusque ope filij, vel non egreditur à religione etiam si sit professus. Imò si grauiter indigeant, tenetur non ingredi, non tamen egredi si est professus, nisi ista necessitas præcessisset ingressum, nam. 14. Et qui eos ita contemnit, vt se reputet abiectum, eo quòd sit ex talibus parentibus ortus: id autem limitatur quando deest contemptus, sed solum dolet suam incommoditatem propter abiectiõnem parentum : tunc enim non erit mortale. nu. 12. & in fine eiusdem cap.

Ratio itaque peccati tantum inest in eo quòd contemnat, & despiciat parentes abiectos, vel pauperes : nam filius quamuis diues & sublimis tenetur eos honorare, etiam si sint tales. Licitè tamen potest se inhonoratum.

ratur, abiectum, vel infamem putare, & iudicare, eo quòd patre Iudæo, vel hæretico, seu perduellione, fit natus. *ibid.* additum in Nouo.

Peccat mortaliter filius, vel filia, qui sine rationabili causa, vel tali quæ coram Deo iusta ei videatur, non vult contrahere matrimonium cum illa persona quam pater ei propter vrgentes causas præcipit. Tenetur enim filius de honestate & necessitate ducere vxorem (quam pater ob iustas causas paciscitur) ad effectum euitandi peccatum, non tamen vt ad id cogi possit. Neque etiam filius, aut filia potest ex hæredari, eo quòd in hoc contrauenit voluntati patris. *num. 15.*

Peccat mort. si non restituit bona malè acquisita ex hæreditate paterna. Item si diu differt soluere debita patris absque iusta causa. *num. 16.*

Filius non est offerendus à patre monasterio, vbi laxè viuitur. *cap. 12. num. 51.*

Filius viuentibus parentibus potest habere quatuor genera bonorum, scilicet castrensia, quasi castrensia, aduentitia, & profectitia. *cap. 17. num. 141. de quibus tit. bona filiorum. supra.*

Filius qui laborat in bonis paternis, promeretur tantam mercedem, quantam meretur extraneus. *num. 144. Dummodo non tenetur*

neatur patrem alere, & expressè, vel tacitè protestetur se eo animo seruire, vel laborare, vt pater ei soluat mercedem. *ibidem.*

Qui patri suo seruit, & alij filij non, si pater non remunerat in vita, nec filius cum patre conuenit vt remuneret sua seruitia, saltem vt extraneo, nec protestatur se ab eo vel hæredibus petiturum, non potest petere à fratribus hæredibus remunerationem. præsumitur enim id fecisse amore filiali. n. 148.

Filius qui sua sponte iuramento renuntiat legitimæ, vel patrimonio, tenetur seruire in foro conscientie, licet enormiter, vel enormissimè lædatur, non tamen in exteriori; quia ex tali damno præsumitur dolus. *num. 152.*

Filius accipiens aliquid occultè à patre, cui non displiceret acceptio sibi nota, displicet tamen occulta, non peccat mort. sed venialiter tantum, nec tenetur restituere. *num. 139.* at verò qui aliquid notabile ex bonis patris inuiti accipit, peccat, & tenetur restituere patri, vel saltè hæredibus, etiamsi bona illa forent sua aduentitia vel profectitia. *num. 156.*

Et quamuis accipiat ad dandam eleemosynam, non egenti extremè, imò etiam extremè indigenti, si posset mutuando subuenire. Secus verò est quando præsumitur, patrem

trera

trem id velle, vt quando de eius licentia peregrinatur, vel versatur in peregrinis gymnasiis: tunc enim præsumitur patrem ratas habiturum modicas elemosynas. Potest etiam, quando bona aduentitia ad eum spectant, etiam quoad vsufructum. num. 157.

Filius habet ius vt alatur ex bonis paternis, si ex propriis non potest. num. 156.

Peccat accipiendo sibi, vel alteri ex bonis paternis, datis ei in peculium profectitium, vel ex fructibus aduentitiorum pertinentibus ad patrem, & tenetur mortuo patre ad collationem conferre cum fratribus. num. 158.

Idem, si vltra legitimam accipit aliquid à patre per donationem inualidam. ibidem.

Qui accipit ex bonis paternis fructus ex consensu patris, & post mortem eius non vult in collationem conferre, peccat, nisi pater dederit animo remunerandi: intra quantitatem, quam ei donare potest. Idem est de pecunia, quam accipit à patre in peculium profectitium. num. 158.

Tenetur adducere in collationem, que pater emit ipsi, sed viués non tradidit, quamuis sint libri, vel arma, &c. Quæ si traderentur viuente patre, essent castrensia, vel quasi castrensia. Idem de libris quos pater emit, & tradidit filio, qui versabatur in studiis, si non

erat

erat doctor, neque emancipatus. Verum est, quod non tenetur accipere æstimationem, vel in ea qua empti sunt, si nunc minoris æstimentur; tenetur tamen pluri, si æstimatio creuerit. num. 159.

Non tenetur conferre ea quæ cum illo præ cæteris pater impendit in vestitu, cibo, & equitatu; secus, si pater donauit ei aliquid, vel aliquam summam, vt de illa pro libito disponeret; & ipse pro suo arbitrio in prædictis impendit. num. 160.

Neque tenetur computare in partem legitimæ alimenta, quæ existens in studiis accepit à patre, non habente vlla bona ipsius filij. Secus si pater penes se habebat filij pecuniam castrense, vel quasi castrense, quia præsumitur cum aliis tamquam administrator bonorum eius. cap. 17. num. 160.

Tenetur mortuo patre conferre id, quod de pecunia patris lucratus est, præter partem facti, quam suo labore & industria meruit, vt quilibet extraneus meruisset. Quæ pars regulariter est dimidium lucri. num. 161.

Idem de eo, quod viuentis patre datum est filio ab aliquo extraneo, contemplatione solius patris, & non sui. Secus si datum fuit contemplatione filij, aut filio iam emancipato. Si vero non constat vtrius contemplatione datum fuerit, arbitrio boni viri iudicatur.

Y can

candum est. Tenetur etiam pro sua parte soluere debita, quæ frater contraxit in studiis viuente patre, qui eum ad studia miserat: non tamen tenetur conferre in impensas studij, in quo frater perseuerare intendit. num. 162.

Tenetur computare in legitimam mortuo patre sumptus necessarios, quos in sua bona aduentitia fecit, aut qui in eorum perpetuum emolumentum redundabant, si pater eos fecit animo recuperandi. Si verò non constant parui, præsumerentur facti sine tali animo: cum eo verò, si sunt ad eum magni, ut fructuum æstimationem excedant. nu. 163. Secus si sumptus nec erant necessarii, nec redundabant in perpetuam vtilitatem, sed solum in vtilitatem fructuum, quos pater viuens percipiebat. num. 163.

Tenetur computare in legitima bona patris, quæ consumpsit in ludos, & vsus malos, & vanos. Idem quando propter delictum filij pater soluit poenam compellente statuto regionis, secus si sponte soluerit. Idem de sumptibus, quos pater fecit in nuptiis filij, animo computandi. Secus si absque tali animo, quod in dubio præsumitur. cap. 17. num. 164.

Quando possit alii filius ex bonis patris, non habentis plus quam ad soluenda debita. vide, Vsuræ. V I I I.

F I N I S.